DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

RISUS COMMODO ET INCOMMODO IN OECONOMIA VITALI,

Ob das Lachen zur Gesundheit nützlich oder schädlich sey;

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORE,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

ANNO MDCCXLVI. D. NOV.

Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subjiciet

RESPONDENS

GOTTLIEB FRIDERICUS MOETIG,

MUSCAVIA-LUSATUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

Animam humanam in hoc vaſtiſſimo campo viſibilis mundi corpori ſuo unitam cum innumeris objectis materialibus, prope & procul conſtitutis, diverſis operationibus converſari & negotiari, communis & quotidiana teſtatur obſervatio, ideo Sapientiſſimus Creator eandem variis facultatibus dotavit, cui etiam talem officinam atque ſedem deſtinavit & addidicit, in qua variis ſpecialibus organis ordinarias, regulares & conſuetas functiones adminiſtrare poteſt: Haud fruſtra nobiliſſimum organon Cerebri tam mirabili ſtructura præditum eſt, ut animæ principalioribus operationibus inſerviat: quæ non ſolum in cerebro propriam ſuam ſedem habet, ſed in diverſis ejus partibus, cameris, meatibus, protuberantiis &c. varias mentis operationes exercet: haud quidem cum CARTESIO pinealem glandulam, neque cum

WILLISIO & LANCISIO corpus callofum habitaculum animæ agnofcimus, id autem affeveramus, quod effentialiter in Cerebro habitet: huc pertinet affertum REJESII *in Camp. Elyf. juc. qu. 45. n. 43. metropolis & præcipua animæ fedes, non in corde aut hepate fita eft, fed in cerebro, vbi quoque omnes fenfus locum obtinent, ac proinde cerebrum potiffima fedes eft rationalis animæ: quare in ratione, memoria, aut imaginatione læfis, topica capiti, non cordi aut hepati admoventur, ut 13. method. cap. 21. adverfus Athenæi difcipulum & alios Peripateticos latius redarguit Galenus.* Sed fubinde etiam in nobis ipfis percipimus, quando intenfius cogitamus, quod vires animi in anteriori capitis regione ac fronte cum aliquali corrugatione magis exerceamus; quod fub acutiori judicii ufu, in medio capitis folertius operemur; quod fub reminifcentia & memoriae exercitio, magis in occipitio negotiofi videamur; quod fub phantafiæ applicatione velut per totum cerebrum, quaqua verfum difcurramus: proinde autem nonnulli variis patheticis animi affectibus, varia laboratoria & fabricas tribuerunt, juxta effatum *Alex. ab* ALEXANDRO *Lib. V. genial. dier. c. 25.* & *Epifcopum Hifpalenfem* ISIDORVM *de Origin. Lib. XI. cap. 1. periti rerum litteris annotarunt fingulis vifceribus hominum fuam vim & affectus innatos fuiffe; idcirco homines fplene ridere, felle irafci, jecore amare, corde fapere & timere.* Cor fapit & pulmo loquitur, fel commovet iras, fplen ridere facit, cogit amare jecur. KNOBLOCH. *difp. anat. 6. qu. 1.*

qu.1. GRASECCIUS *in theatr. microcosm. cl. 4. f. 12.* De Risu imprimis tanquam externo indicio interni affectus gaudii, lætitiæ & delectationis antiqua innotuit traditio, quasi in Splene generetur, quoniam sano Splene homines hilares, sereni & jucundi observantur, licet omnium viscerum sana integritas erectum talem animum causetur: contra vero melancholici hypochondriaci & splenetici modo tristes, modo hilares & ridiculi occurrunt, ut ipsi medici adhuc in dubio versentur, an in splene lætitia, an vero tristitia formetur, quamvis sec. omnium sensationem hic affectus moralis in cerebro, nec in ullo alio organo exerceatur: adeoque merito discrimen faciendum est, inter risum quatenus sanæ mentis affectum & illum qui corruptæ & perversæ rationis & phantasiæ foetus est. Dum autem moderatus Risus character animi jucundi & hilaris, imo juxta PLUTARCHUM & *Pausaniam* APULEJUM *condimentum laboris & victus* est, ideo LICURGUS *ap. Lacedæmonios Simulacrum risus, ut Dei erexit*, & ex VOSSIO *de Idololatria Lib. 3. c. 46.* ubi de *Risu* agit, alii referunt: *desino mirari, cur Hypathenses in Thessalia una cum Spartanis & Romanis risum pro Deo coluerint olim, & Tibareni summum bonum in hoc affectu constituerint, cum dolores non minus, quam Melancholiam adeo feliciter pellat.* Nec solum de eo varii differunt, an Lien sit sedes lætitiæ, hilaritatis & risionis, (*conf. Io. Antonid. van der* LINDEN *in Medic. Physiol. c. 5. art. 3. §. 32. p. 22.*) sed & an sec. ARISTOT. *L. 3. de partib. anim. c. 10.* (*vid. Wil-*

lisius anat. cerebr. c.17.) solus homo, juxta veterum assertionem sit ζῶον γελαστικὸν animal risibile, cum hæc qualitas moralibus & rationalibus actionibus adscribatur & cum gaudio, voluptate, hilaritate & oblectatione, aut etiam contemtu & illusione connexa sit; quare nonnulli distinxerunt inter risum & derisionem, aut risum lætitiæ & contumeliæ; ideo HIPPOCRAT. *Lib. de morbo Sacro* ∫. *16. t. 1.* ait, *quod lætitia & risus ex nulla alia parte, quam Cerebro provenerit*, cui sententiæ alii opponunt ex historia animalium psittaci & turturis indici cachinnum, equorum hinnitum &c. ast hi obloquentes rationem dubitationis, exceptionis & contradictionis suæ reddunt, ad mentem Cartesii, quia brutis nullas passiones animi concedunt, quæ pro nudis machinis avtomaticis reputant, quorum affectus non veræ rationales operationes, sed saltem similitudines illarum passionum esse debeant, *conf. Rud.* GOCLENIUS *de risu probl.13. Ant.* LAURENTIUS *de risu dial.2. pag.374.* FRACASTOR. *de Sympath. & Antipath.* Porro illam quæstionem proferunt, an risus sit affectio hominis essentialis & connata, an vero accidentalis & consuetudinalis? quare juxta SOLINUM *Polyhist. c.4. Nascentium prima vox vagitus est: lætitiæ enim sensus differtur in quadragesimum diem: unum autem hominem novimus eadem hora risisse, qua natus erat, sc. Zoroasterum mox optimarum artium peritissimum, vid.* SALMASIUS *ad Polinum cap.33.* & quamvis ARISTOTELES *Histor. anim. Lib.7. c.10.* dicat: *quod dormientibus infantibus accidat,*

dat, ut rideant: viciſſim HIPPOCRATES ubi de *Partu* loquitur, affirmet, *pueros ſtatim ridere natos:* de hoc riſu tamen CAMERARIUS *in Sylloge Memor. Cent. XI. partic. 29.* ait, *ridere pueros ad parentes ſuos, a veteribus pro bono omine habitum fuit. Hoc cum ſciret Virgilius, puerum invitat, ut rideat: incipe parue puer riſu cognoſcere matrem,* quo loco CAMERARIUS argumentum hoc paucis ventilat, quod *Infantium riſus non ſit ominoſus.* Quod autem riſus præcipue ad hominem ſpectet, teſtatur rationalem hunc eſſe debere affectum, quare iterum differentiam ponunt inter riſum ſapientum & ſtultorum, adeoque non ſolum mente captorum & dilirantium, ſed in affectu lætitiæ ludicrum exceſſum committentium, ita ut juxta *Siracidem cap. 21.* ex effuſo & immoderato riſu ſtultus agnoſci & judicari queat: ideo CICERO *Lib. 2. de orat. c. 60.* inquit, *riſum movere vel tenuiſſimus ingenii fructus eſt: nos autem ridicula cum cauſa dicimus, non ut ridiculi videamur, ſed ut proficiamus aliquid:* qua de cauſa hic affectus animi modo mentis integritatem & prudentiam, modo ejus evagationem & immoderationem, modo etiam illius confuſionem & inſipientiam prodit; id teſtatur *Clem.* ALEXANDR. *Pædag. L. 2. c. 5.* aſſerens, *ipſe riſus eſt comprimendus: nam ipſe quoque ſi quomodo oportet proferatur, præ ſe fert decorem & honeſtatem: ſin aliter prodeat, indicat intemperantiam: non enim quoniam homo eſt animal facultate ridendi præditum, ideo perpetuo ridendum eſt; quandoquidem nec equus, cujus eſt proprium hinni-*

hinnitus, semper hinnit. Utut animæ hæc facultas concessa est, qua lætitiam & hilaritatem suam sub moderatione quadam prodit, attamen malus & perversus illius facultatis usus non solum in scelus vergit, sed etiam animæ atque corpori damnum causari solet; hinc SALVIANUS *Lib. 6. de gubern. Dei p. 206.* inquit: *num quid lætari & ridere non possumus? nisi risum nostrum atque lætitiam scelus esse faciamus:* porro *fletus compunctio animæ, risus corruptio disciplinæ est.* Quoniam igitur hujus affectus character & moraliter & physice i. e. menti & corpori commodum & incommodum, emolumentum & detrimentum parere potest, ideo præsenti Inaugurali Specimine animo concepimus de RISUS COMMODO ET INCOMMODO IN OECONOMIA VITALI disserere, ne quisquam illud experiatur: *Væ tibi ridenti, nam mox post gaudia flebis:* cui nostro proposito ut cœlestis directio adsistat, mox in ingressu rogamus & exoptamus.

§. I.

Quod *Ecclesiastes* elocutus est *cap. 7. v. 4. tædium præstare risui,* es sey Trauren besser, dann Lachen, id multa *exempla* in *Sacra* & *profana* Historia testantur, inde innotuit *Proverbium* σκυθρωπότερος ἀρειοπαγίτȣ *tristior areopagita,* quia in conspectu judicum in prætorio, *in areopago,* aut colle s. tumulo martis *nemo ridere* debuit; hinc alii potius *Catonicam* gravitatem, *austeritatem* & rugositatem monstraverant: licet vicissim multis *exemplis damnum* tristitiæ, quod *animæ*

mæ

mæ & *corpori* accidit, probari possit: sic nonnulli de *morte Judæ proditoris* judicant, quod ob nimiam *tristitiam*, *angorem* & internum dolorem *suffocatus* fuerit, sicut OVIDIUS *L. V. trist. eleg. 1.* testatur, *strangulat inclusus dolor:* quem modum mortis nomine ἀγχονην Græci, & Ebræi Mahanak vocant: *vid.* BUXTORF *in Lex. talm. Hugo* GROTIUS *ad Matth. 27. v. 5. Claud.* SALMASIUS *Ep. 3. de Cruce* Contrarium tristitiæ *lætitia*, hilaritas, *risio* existit, de quo affectu & effectu animæ AUGUSTINUS *Serm. 9. de verb. apost.* inquit: *In fletu Dominus posuit officium, in risu beneficium: quando ait: beati, qui plorant, quia ridebunt: ergo in ploratu officium est, in risu præmium sapientiæ: risum enim pro gaudio posuit, non cachinnationem, sed exultationem.* Ab *omnibus* igitur moribus, inclinationibus & *affectibus* animi *moderatis* & *immoderatis*, temperatis & excedentibus aut *commodum*, aut *incommodum morale* & *physicum* expectandum, quod etiam de *risu* valet: nam *humanitati adversatur* σκυθρωπασμὸς & μισανθρωπία; *ornat* vicissim & *amabilem* reddit hominem *serenitas*, suavitas & *amœnitas;* ad hanc qualitatem referimus *modestum*, temperatum ac lætum risum, de quo hoc themate prædicamus & porro demonstrabimus quod *sanitati* & *vitæ* naturali *commodus* & *salubris*, immodicus contra, *effusus* ac *nimius perniciosus* existat. *Haud* quidem *hoc* argumento de risu *insano* & *delirantium* s. maniacorum, s. *melancholicorum* s. fatuorum, sive aliorum, animo & corpore ægrotantium, *neque* de risu *morboso* alio, velut *Sardonio*, neque illo, qui *comestione* certæ *herbæ* aut *punctura* certæ speciei *araneorum*, (si veritati respondet relatio) provocatur, enarrantibus PLINIO *H. N. Lib. 24. cap. 17.*

WIERO *de præstig. dæmon. Lib. 2. c. 35.* *Clem.* ALEX. *Pædag. Lib. 3. cap. 2.* *Paschalio Lib. 2. Coronar. c. 19.* BOVILLO *in Prov. p. 120.* *Erasm.* FRANC. in der brennenden Lampen der Klugen 19. Bedencken *pag. 827.* BRUNO *Quinas disce mori P. 2. p. 429. sq.* & illis medicis, qui de Sardonio risu amplius agunt, sermo est: *neque illum* risum intelligimus, cujus mentionem facit HERBERGER *in Magnalb. P. XI. n. 56. p. 933. b.* de quo scribit: es ist eine sehr alte Gewohnheit, daß man das Heil. Oster-Fest pfleget mit einer lustigen Historie zu beschliessen, vor Zeiten habens die Kloster-Leute mißbrauchet und ihre *risus Paschales* Oster-Gelächter dafür geplundert, davon kanst du lesen in den Leben Lutheri bey den MATTHESIO *p. 59.* nec *præmaturum infantum* risum in censum ducimus, de quo RIOLANUS *in anthropographia L. 6. c. 11.* differit: *quidam male ominantur matri & puello, si ipse, ubi in lucem prodierat, rideat;* multo minus ad *illum* risum attendimus, quo cum ploratus loco, *sub partu* infantes mundo arrident, aut mundum risu salutant & adspiciunt, welche die Welt nicht beschreyen, sondern belachen, sicut WEINRICH *lib. de ortu monstrorum c. 25. p. 232. monstrosam* historiam *de foetu ridente* recenset: si quis *hanc* relationem a *fabulæ* accusatione defendere malit, quod, sicut *vagitus* fœtus, in *utero* adhuc decumbentis, extrinsecus audire potuit, ita etiam *risum internum* quispiam auditu percipere potuerit: MAJOLUS *in dieb. canic. T. 1. Colloqu. 4. p. 51. b.* inquit: *horrescamus magis, quam admiremur risum Zoroastris, qui ridens nasci visus est, ut aliquando vitiosum supra reliquos homines referre videretur:* Ob id *præsens* tractatio versatur circa *Risum integra ratione* præditi hominis, in quantum ille *moderatus* est, &

hac

hac qualitate pro *ſanitate* conſervanda & confirmanda, aut reſtituenda & promovenda opem quandam conciliat: deinceps ratio etiam habenda erit *immodici*, *exceſſivi* & *impetuoſi* riſus, in quantum *hic* aut *præſentaneum*, aut *ſucceſſivum damnum ſanitati* naturali corporis accerſit & cauſatur; unde inſuper liquebit, quomodo *conjuncta* hæc *pathetica* animi commotio & combinata *corporis* quoad varias qualitates inſignis & fere conſpicua alteratio, multum ad *vitæ* & *ſanitatis adjumentum* & *detrimentum* conferat, quod igitur nunc in ordine indicandum & demonſtrandum erit.

§. II.

Quando nunc Riſus, velut *ſigni* affectus certi *pathetici* effectus *medicos*, ſive cum *vitæ* & *ſanitatis* ſtatu *cohærentes* indicare placet, *primo* loco *commoda* & utilitates, inde expectandas, recenſebimus: *antea* autem *effectus* & alterationes Riſus in *corporis* œconomiam transeuntes ſignificabimus: ille igitur *animum* excitatum, hilarem, *lætum* & alacrem denotat & qui *antea anxius*, timidus, ſollicitus, triſtis, abjectus, afflictus, preſſus & torpidus fuit, *nunc erectus*, jucundus, agilis, *ſerenus* & ad *actiones pronus*, deprehenditur; quare homines *timidi*, ſolliciti, *anxii*, ſuſpicaces, triſtes, auſteri, ſegnes, ſomnolenti, lenti, feſſi, incurioſi, velut Melancholici & phlegmatici *minorem* ad *riſum* pronitatem & inclinationem habent, quam *ſanguinei*, qui facile ipſo riſu *excedunt* & *cholerici*, qui tamen hunc affectum *majori moderatione* & *gravitate* exercent: & quoniam *corporis* vires cum *animi* alacritate *unitæ* ſunt, ideo languor *illarum*, aut interdum *defectus hoc affectu* corrigitur, *excitatur* & emendatur: ob id *ex-*

empla conſtant, quo modo *triſtes* & afflicti *hypochondriaci* & melancholici ſuavi ac *jucunda* compellatione & converſatione ad *riſionem* commoti, *præteriti* affectus *morboſi mentis* atque *corporis* nonnunquam *extemporaneum levamen* & moderamen ſuſceperunt: Qua de cauſa *moderatus* riſus *illis* omnibus confert, qui *ſub morbis triſtes*, anxii, de *funeſto* exitu *afflicti*, timidi & ſolliciti ſunt, aut qui ob *talem animi* qualitatem viribus *deficiunt* & valde *debiles* ſunt, qui ob talem moralem afflictionem ad motus *neceſſarios* in *corporis* œconomia exercendos, aut *languent*, aut *ambigunt*, qui anxia *imaginatione* cum *adverſis* objectis & *ſiniſtris* rerum ſucceſſibus verſantur; *hiſce* ſingulis *ſuavis riſus* (qui *non coactus* eſt, de quo dicunt, es ſey ihnen jetzo nicht lächerlich,) *animum* & *vires* & per connexionem *motus* in *corpore* aliquando generatim, quandoque in variis ſpecialibus functionibus reiterandos, aut alacrius adminiſtrandos, eximie erigit & excitat, ſeorſim autem hic affectus ad *nervos* intendendos & *roborandos*, ſi *moderatus* eſt, conducit, inde *membra* ad *motus* aptiora & *robuſtiora* ſentiuntur: & quoniam riſus præcipue *caput* afficit, ideo non ſolum *membranas*, *cerebrum* veſtientes, ſed & *ipſum cerebrum*, *ſinus* illius & quælibet *organa ſenſoria* temperata ac placida *ſuccuſſatione* reficit, ipſumque *organon animæ*, quocum *ſenſorias* ſuas operationes perficit, ad *haſce alacrius* exercendas, *aptum* magis reddit: quare homines ad *ridendum faciles* in *aliis* operationibus *mentis* æque *prompti*, proclives & agiles exiſtunt. Quod autem ad *corporis* ſtatum attinet, tunc riſus ille moderatus *fluidis* & *ſolidis* partibus, ut & *variis* organis & regionibus *corporis* multiplicem *opem* conciliat: etenim cum

riſio-

risionis affectu & effectu *vires excitatæ* & *motus roborati* atque aucti sunt, hinc conjuncta concussione *sanguis* alacrius & *intensius* impellitur, *progressus* ejus *acceleratur*, in *peripheriam* corporis *efficacius* & *largius* transfertur, hinc etiam *pulsus cordis* redditur *fortior*, *citatior*, plenior, *alacrior*, *venæ turgescunt*, *facies* & reliqua *superficies* corporis magis *rufescit* & *incalescit*; quare nonnulli risum, tanquam *medelam* in *frigidis* affectibus commendant; testis *hujus* practicæ observationis est MERCURIALIS *in arte Gymnastica Lib. 6. c. 6. p. 361.* ubi *risus utilitates* significat, ita inquiens: *risus, dum oris dilatatione, præcordiorumque titillatione interiora & præs. faciem exagitat, quin illas partes insigniter calefaciat, haud quaquam inficiari possumus: eo magis quod rubor in ridentium vultibus efflorescens caliditatis acutæ apertissimum argumentum existit: & idcirco crediderunt nonnulli Homerum vocasse risum γέλωτα ἄσβεστον, sicuti grammatici γέλως ab ἕλη, quæ vox caliditatem significat, deduci tradiderunt. Proderit igitur imprimis illis ridere, quibus frigidæ sunt & capitis & thoracis partes, melancholicis & a frigida cerebri intemperie desipientibus attonitisque & qui ob mœrorem ac tristitiam in febres aut alios affectus delapsi sunt.*

§. III.

Mediante hac moderata *concussione capitis*, *pectoris* & *hypochondriorum*, quæ *sub risione* contingit, *stagnationes* humorum, *oppletiones* sinuum, meatuum, vasorum, ductuum & viscerum, indeque provenientes *tumores*, occlusi *abscessus* &c. quadantenus resolvuntur, *discutiuntur*, aperiuntur iterumque permeabiles redduntur: hinc moderatus risus in *Cephalæa* conducit, *catarrhosis* utilis

eſt, teſte SCHNEIDERO *de Catarrho Lib. 5. cap. 7. pag. 291.* *tuſſim pectoris tenacem mobilem* reddit, *liberum* motum ſanguinis reditu ſuo ad *cor* & exitu è corde *facilitat* atque auget, proinde hoc *facili* progreſſu *ſanguinis fluiditatem* promovet, ideo hominibus *ſpiſſo* ſanguine oneratis, *melancholicis, hypochondriacis, ſpleneticis, menſium* & *hæmorrhoidum* defectu laborantibus, *auxilium* promittit, quibus *poſterioribus* ſalutarem ſanguinis *evacuationem* revocare adjuvat; ſicut *hac eadem* ratione & efficacia in *adſuetis* ſubjectis & ætatibus *narium hæmorrhagiam* ſalutarem *reſtituit* & promovet. Sic etiam *varia exempla* teſtantur, quod *talis* riſus *apoſtemata* & *abſceſſus* in *collo* & *pulmonibus* occluſos ad *faciliorem* perruptionem diſpoſuerit, quales *ridiculæ* hiſtoriæ recenſentur a MANLIO *in Loc. com. libello medico p. 754. Ant.* LAURENTIO *L. 2. de riſu p. 440.* CAMERARIO *Syllog. memor. Cent. 14. part. 63.* PECHLINO *L. 3. obſ. 28. p. 467. A. N. C. Dec. 1. an. 2. obſ. 134. in ſchol. p. 217.* BOHNIO *de Offic. med. dupl. P. 1. c. 2. p. 25.* BINNINGER *L. 3. obſ. 47. p. 307.* LEHMANN *in Chronic. Spirenſi L. 5. c. 50. p. 494. Eraſm.* FRANC. luſtige Schaubühne *P. 1. p. 124.* PAULLINO *Philoſ.* Feyerabend *obſ. 47. p. 547.* ubi hiſtoria de ERASM. *Roterodamo* aut *Phil.* MELANCHT. qui ex conſpectu & lectione Epiſtolarum obſcurorum virorum ridentes e gravi morbo pectoris convaluerunt; hinc PECHLINUS *loc. cit. p. 468.* judicat: *quemadmodum gaudii ſoboles hic affectus*, videlicet riſus *eſt, & ex objecti læta novitate concipitur, ita animum prius intus demulceri, deinde etiam in corpus animi ſenſum deſcendere, gratisque & reciprocis oris membrorumque convulſionibus ſignificari, probabile eſt; ab hiſce deinde quaſ-*

ſatio-

ſationibus aucta & dilatatio & circulatio fluidorum, hærentes alibi in venarum capillaribus obſtructiones ſolutis repagulis ex facili diſcutiet, ortosque inde morbos opportune ſanabit, quod ipſum quoque non una obſervatione accidiſſe novimus; quo loco, ubi idem author *riſum morborum periculique averruncum* explicat, varia, hoc argumentum *probantia*, exempla allegat. Quodſi etiam *pectus* multa & crebra *catarrhoſa* pituitoſa materia *impleatur*, tunc *moderatus* & iteratus riſus ad illius *reſolutionem* atque *expectorationem* contribuit, æque ac ſeroſo-pituitoſa talis colluvies ſæpe *caput* onerare & invadere ſolet, cui afflictioni pariter animi affectus ridentis commotionis confert; hinc MERCURIALIS *l. cit.* inquit: *de riſu verba feciſſe Cœlium Aurelianum exiſtimo, quando in atrophiæ curatione animi laxationem poſt cibum commendavit & quando ſimiliter in capitis dolore adhibendam præcepit eandem, ne a mentis intentione caput impleatur: in his enim univerſis, cum frigida intemperies dominetur, merito auxilium præſtat riſus.* Quoniam porro riſus *diaphragma, hypochondria, muſculos abdominis,* ipſumque *ventrem* intenſius commovet, ideo ille *ſtagnationi* humorum in *pulmonibus* reſiſtit, *aſthmaticis* & quibus *polypoſæ* concretiones imminent, ſi moderatus eſt, conducit, *liberam* reſpirationem promovet, *concoctionem* facilitat, *hepatis* infarctum avertere & diſcutere adjuvat, *ſanguinis progreſſum* per *lienem liberiorem* reddit, *indurationem* in *Splene* aut præſervat, aut mitigat, *circulum* ſanguinis per *venam portæ*, alias variis *impedimentis* & difficultatibus obnoxium, promovet, *meſenterii* variis paſſionibus *ſuccuſſatoria* ſua virtute perquam confert: *haud minori* efficacia *glandularum*

meſa-

mesaraicarum aliarumque abdominalium morbis *medicam* opem conciliat, quarum *obstructionem* reserare juvat; hac igitur ratione *tribus* cavitatibus corporis *auxilium* fert, quod sec. præcedentem demonstrationem & confirmationem variis aliis organis contingere potest & solet.

§. IV.

Præter hactenus recensita *commoda*, quæ a *moderato* risu in œconomia vitali expectanda & promittenda sunt, merito recensenda est *promotio* & successus *nonnullarum salutarium excretionum:* ita non raro conspicere licet, quomodo *ridentibus pueris*, quibus *narium hæmorrhagiæ* antea familiares & *salubres* fuerant, *nunc denuo* nares sanguinem *liberaliter stillant*, dum *fortior* sanguinis *motus* & *largior* ejus *intra* caput *compressio* novam illius *expressionem* e loco *consueto* causatur; ita porro *Mensium* & *Hæmorrhoidum* fluxus *gaudio* & *risione* adjuvatur, dum *sub illo* affectu tota *massa sanguinea intensius* movetur, insuper etiam *abdomen succutitur*, indeque *congruo* tempore, quando *congestio* sanguinis *ad hæc* loca *intrinsecus* succedit, *eruptio* & consequens fluxus facilius contingit: eadem *ventris concussione*, sub risu eveniente, *excretio alvi* & *urinæ* facilitatur, quoniam *loca* excretoria *hac* commotione ad *officium* suum citius & promptius perficiendum *excitantur:* hinc homines *austeri*, morosi, tristes, *obscuri* utplurimum *defectu illarum* excretionum laborant: quæ ratio etiam cum *remediis* excretiones illas provocantibus conciliari potest: huc quadrat judicium PECHLINI *obs. 27. p. 464. alius est lætitiæ, alius mæroris fructus & cum in lætis quibusque mediocris sit spirituum expansio, quæ ipsa secretiones atque excretiones humorum*

morum commode promoveat, utique apparet hilariorem & sibi relictum animum meliorem esse tristi & severo: porro: *in purgantium effectibus maturandis juvat multum serenior animus & si tristior meditatio concepto in venis medicamento supervenit, utique mutari protinus effectum & vel segnius agere animadvertimus;* hinc *popularis* est observatio, homines, imprimis *sequioris* sexus ob magnum aut *effusum* risum urinæ *involuntariam* pati effluxionem: huic annotationi annectimus suffragium *Christ. Joh.* LANGII *in dissert. de animi commotionum vi medica §. 33.* inquientis: *solenniter videmus, animum serenum & lætum purgantia remedia egregie promovere & econtra tristem remorari sæpeque penitus cohibere ea.* Adjuvat etiam risus *expectorationem* in subjectis, quibus pulmones *tenaciori* pituita impleti & onerati sunt, aut quæ *asthmate humido*, ideoque laxiori & *debiliori* qualitate pulmonum, indeque humorum *stagnatione* & collectione in pulmonibus laborant, ut antea monitum fuerat; in quibus *succutiens* commotio *pectoris*, quæ sub risione contingit, *tantum* juuat, ut *mucida* pulmonum oppletio *dissolvatur* & *excretio* illius facilitetur. Nec silentio præterire placet observationem FEHRII, quam inseruit *A. N. C. Dec. 2. An. 3. obs. 2. p. 20. novi fœminam sinistri lateris paralyticam, quæ urinam sæpius & plerumque præter voluntatem emittit, sed alvum nequaquam exonerare potest, nisi ægra prius ad risum excitetur, levi namque joco aut re delectabili excitata profuse in cachinnum & alvum solutum proruit, suave delirium diceres, nisi mente ea adh. integra constaret.* Constant porro exempla, quod risus aliquando *spasmodicis* doloribus *linimentum* conciliave-

rit: quamvis enim *nonnulli* ſpasmodici affectus *titillationis* ſenſum excitaverint, proinde etiam riſionis affectum *præternaturam* procuraverint, *vid.* WEDELII *Phyſiol. Sect. 4. c. 10. de riſu*, tamen viciſſim obſervatum fuit, quod *poſt riſum* talem, quaſi *morboſum*, aliquandiu exercitum, *placidus ſomnus* & præcedentium dolorum *moderamen* ſecutum fuerit: qualis conſecutio nobis conſtat, in viro honeſto ſimul iſchiadico - podagrico affectu laborante. Denique hiſce obſervationibus, quæ *moderati* riſus *commoda* pro vitæ & ſanitatis naturalis confirmatione, probant, addere licet, quod idem riſus vario modo ad *partus promotionem* aliquid conferre queat; dum partim *motus*, ad *partum* pertinentes, vel languentes vel deficientes, *revocat* & excitat, partim *concuſſione ventris* partum certo modo jam *procedentem* ſublevat & *facilitat*, id teſtatur PECHLINUS *loc. cit.* & ex eodem LANGIUS *loc. cit. ſ. 36.* ita diſſerens: *præ omnibus animi commotionibus laudem meretur riſus ad promovendum partum, quippe cujus quaſſationibus partus conatus novi provocantur, matrem uterumque onere ſuo vel ſoli liberatum.* Et hæc Specimina *commodorum*, ex *riſu* in œconomiam *vitalem* redundantium, colligere, ſignificare & explicare placuit; id quod imprimis de *riſu moderato* intelligi debet.

§. V.

Nunc *altero* momento *incommoda* & damna, ex *riſu* præcipue *intempeſtivo*, *turbulento* & *exceſſivo*, in vitæ & ſanitatis naturalis proceſſum irruentia, indicabimus, quo loco reminiſcimur effati PLATONIS *de Republ. L. 3.* profitentis, quod *effuſum riſum vehemens mutatio ſequatur* & ARISTOTELIS aſſerti *Sect. XI. probl. qu. 13.* quod *riſus diſſolvat*

ſolvat & debilitet: ut & XYSTI *apophthegm. 271. multus riſus diſſoluti animi character eſt*, & NILI *Paræneſi* & *Libr. aſcet. paræn. 77. devita immodicum riſum, nam debilitat animam:* hinc indies annotare licet, homines *nimium* ridentes, extemplo & valde *enervari;* quare interdum riſus cum *gaudio incipit*, cum *damno* & *luctu* autem *deſinit;* quo ſpectat teſtimonium REJESII *Camp. Elyſ. juc. qu. 50. n. 2.* inquientis: *ipſe riſus qui cum gaudio & tripudio incepit, cum luctu & vita aliquando finiri in Philemone, auctore Maximo, viſum?* nec aliter ſentit Philoſophus LÆLIUS *Peregrinus: riſus intempeſtivus inter mortales eſt grave malum, quia ad mortem usque perducit: conf.* MAJOLI *Dies canicul. T. 1. Coll. 4. p. 51. b. fin.* quare *Eccleſiaſtes cap. 2. v. 2. riſum inſaniam appellat:* & Salvator alio reſpectu ap. *Luc. 6. v. 25.* ait: *væ vobis, qui nunc ridetis, nam lugebitis & plorabitis:* ita etiam in *naturalibus* aliquando lætitam & *riſum* ſequitur *dolor:* ob id de *Democrito* Philoſopho, ſæpe & valde ridente, ambigunt, dubitant & diſſentiunt docti, an pro *inſipiente*, an *ſapiente* illum habere debeant: *vid.* ROMMELIUS *in A. N. C. Dec. 2. an. 8. obſ. 176. p. 443.* quo loco author hic doctum diſcurſum de *riſus utilitate* & *pernicie* format, & inter alia *p. 447.* teſtatur: *Phthiſin, hæmoptoen, cephalalgiam, abortum, convulſiones, ſtrumas, hernias aliaque ſexcenta mala a nimio & effuſiore riſu ob violentiorem totius œconomiæ animalis concuſſionem orta eſſe, præſ. etiam vulneratis & gravidis periculoſum exiſtere, præter alios etiam Fabr. Hildano monente, nemini ignotum eſt.* Veſtigia igitur nunc in ordine hujus annotationis legemus & indicabimus *quales morbos immoderatus* riſus cauſari, *quibus aegri* ad.

verſari & quod ipſam *mortem ſubitam* & *ſucceſſivam* provocare queat ſoleatque. Fortis itaque atque *immoderatus* riſus diſponit ſubjecta *adæquata*, præcipue *ſanguine ſuperfluo* turgida, aut ſimul magno *orgasmo illius*, vel eo craſſiori prædita & obnoxia, vel ſuſpectæ & pertinaci *congeſtioni* ejus ad *caput* expoſita, aliisque *huc quadrantibus* qualitatibus inſtructa, ad *ominoſas vertigines*, imo plane ad *apoplexiam;* ſiquidem generatim *hic* riſus *caput* & *cerebrum* commovet, quare plurimi medici ad avertendam & *præſervandam apoplexiam* ab omnibus *illis* cauſis, *cerebrum* nimis *commoventibus* valde dehortantur; Quibuscunque Cephalalgiæ, vertigines, ophthalmiæ a cauſſa *ſanguinea*, aut *largæ* narium hæmorrhagiæ familiares & frequentes ſunt, illis crebrior & *intenſior* riſio magis *noxia* exiſtit, quoniam ſub hac denuo ſanguis *majori* copia atque vi *intra caput* appellitur, ſicut ſub illa ſemper magis *facies rubeſcit* & *venæ intumeſcunt*, ipſæ etiam *arteriæ fortius* pulſant, unde prædicti affectus *novum* impulſum & ſtimulum nanciſcuntur, ut *majori* acerbitate atque vi repetant: & quoniam hic affectus & motus *riſus oculos* communiter affligit, ut humores copioſius & potentius eo affundantur, indeque oculi *extra* orbitam ſuam magis premantur atque *lacrymali* humore *largius* perfundantur, unde locutio, man lache, daß einem die Augen übergehen, (*conf. Celſus* MANCINUS *tr. de riſu, unde effuſio lacrymarum ſub riſu.* PETAVIUS *in notis Syneſii.*) hinc *illis*, quibus alias ſenſus & organon *viſionis debilius* & mollius eſt, ulterior & *major* viſus *hebetudo* aut debilitas accidit, ideoque *immoderatus* riſus *oculis* valde infenſus evadit. Eadem *fortior* capitis & cerebri commotio aut *concuſſio*,

ſub

ſub *effuſo* riſu contingens, officinam *mentis* æque *enervat*, ut futuro tempore citius *vires animi langueſcant:* quare MERCURIALIS *l. c. p. 362. in fin.* inquit: *nec non Aglaitidas ap. Xenophontem Lib. 2. de Lyri pædia dixerit, riſum hujuscemodi moventes, neque corporibus, neque animis prodeſſe: porro caput ac thoracem peculiariter ab hujusce generis riſu offendi, nemo negaverit, quemadmodum interdum laxata maxillarum oſſa, dorſumque oblæſum animadvertimus:* cujusmodi exemplum nobis conſtat, de puero pleno, aperto ac hiante ore cachinnum prodente, ſub quo mobilis maxilla ſubluxata fuit, ut os iterum claudere non potuerit, de quo aſpectu alii ad riſum, puer autem iſte poſt gaudium & riſum ad fletum promoti fuerant.

§. VI.

Non alium, quam *inſalubrem* & pernicioſum effectum effuſus & *immodicus* riſus habet in *collo* & *pectore*, dum vehementi *ſuccuſſatione harum* regionum & forti atque *larga* ſanguinis impulſione & *impreſſione* intra eas imprimis in ſubjectis *valde plethoricis* & ſimul viſcoſa & *craſſa* quadam ſanguinis qualitate & intemperie, nec non carnoſo, *craſſo* ac *brevi* collo, ut & *arcto* pectore præditis, *ſtaſis* aut periculoſa *ſtagnatio*, ut & ſuperveniens *inflammatio*, aut *vaſorum* ſanguiferorum violenta *perruptio*, aut *certarum* partium nimia *extenſio*, dilatatio & humoroſa *oppletio* excitari & formari ſolet; inde *varii pericuIoſi* affectus oriuntur, velut angina, pleuritis, ſtruma, hæmoptyſis, conſequens phthiſis, aſthmatica reſpirationis perverſio, ſingultus ſuſpectus, aliaque præjudicioſa pathemata: Sic RIEDLINUS *Lin. Med. An. 2. Menſ.*

Jul. obs. 31. p. 356. testatur, quod *excessivo* risu non solum *decorum* violetur, sed & *corpori quandoque noxæ, haud ita facile corrigendæ, inducantur:* id confirmat historia quadam: dum quispiam nimio cachinno *Strumam* aut *bronchocelem, indies* augescentem, sibi contraxerat: obsignat hanc relationem hoc monito; *sed vos hoc exemplo edocti risum moderetis amici:* nec non BARTHOLINUS *in Act. Hafn. Vol. 2. obs. 96.* commemorat *Pleuritiden*, nimio risu & conjuncta sternutatione provocatam. Præterea *Zacutus* LUSITANUS *in Prax. Histor. L. 2. obs. 5.* de risu ita judicat: *hujus cum moderatus est, magna est utilitas: partes enim præsertim thoracis præ motu concalesiunt & calorem toti cito communicant: quo pacto risus prodest modicus, quibus caput & thorax frigida intemperie laborant, subtristibus item ac melancholicis remedio est. Verum si nimius est, & diu durat, viscera commovet, faciem, spiritalesque partes accendit, ac cito calore vasa dilatat & rumpit:* & hunc *ultimum* effectum historia confirmat, qua quis *ex nimio risu sanguinis sputum* & consequentem *tabem atque mortem* passus fuit: subnectit idem author hanc observationem: *est enim risus vibratio quædam septi transversi & musculorum thoracis & oris, quæ si nimia sit & repentina harum partium vasa dilatat. Recte ergo sibi consuluit Aristoxenus, qui referente* ÆLIANO *L. 8. c. 13. valde a risu abhorruit & rectius, ut hæc damna evitaret sibi prospexit Anaxagoras, quem nunquam risisse, nec subrisisse priscorum doctissimi memoriæ mandarunt,* & SYNESIUS *de providentia p. 80.* de *Osiride* dicit: *nec in cachinnos erumpere, nec immodico risu toto corpore quati aut succussari solebat, ideoque mente & corpore sanus fuit.* Similem

lem casum *hæmoptyseos a risu* nimio ortæ, allegat RIEDLINUS *l. c. An. 4. Apr. obs. 29. p. 340.* Non minus *perniciosum* effectum risus talis *effusus* habet, in hominibus *prodigis* hæmorrhagiis, velut narium, menstruis uterinis, lochialibus, hæmorrhoidalibus aliisque obnoxiis, in quibus conjuncta *sanguinis* & *totius* corporis *concussio* impetuosum *reditum*, aut *excessivum* fluxum istiusmodi hæmorrhagiæ causatur. Quoniam etiam Risus secundum *communem* medicorum assensum imprimis *diaphragma* afficit, ideo ille *immoderate* & *frequenter* succedens aut *spasmum* periculosum diaphragmatis, aut suspectum *singultum*, aut *atoniam* illius partis, subinde consequentem respirationis alterationem *anhelosam*, difficilem, ita dictam *asthmaticam*, & connexa varia pectoris & pulmonum offendicula invitare potest: hinc *plebeja* locutio orta, man habe sich aus dem Othem gelacht. Eadem vehementi concussione *hypochondriorum*, quæ sub risione *excessiva* contingit, & *ventriculum, Hepar* & *Splenem* aut etiam *renes* in *consensum* trahit, excitantur in *hisce* organis & certis subjectis variæ morbosæ afflictiones, velut *vomitus*, *concoctionis* turbæ, cruditatum generatio, *largior bilis* effusio, *stagnatio* sanguinis indeque proveniens *infarctus* hepatis & lienis, tormina intestinorum aliaque cum modo dictis conspirantia mala. Præterea *immoderatus* talis risus perniciosus est *fæminis tenerioris* & *gracilioris* corporis, ut & reliquæ *sensibilioris* constitutionis, quibus non solum negotium *mensium* valde *turbat*, sed & facultatem *concipiendi* confundit & pervertit, deinde *graviditatis* ordinem & *liberum* successum *lædit*, *abortum* causatur, *uteri prolapsionem* variaque alia damna accersit,

cerſit, ad *fœtum mortuum* diſponit, *partum futurum difficilem* reddit, ad *fœtus noxiam complicationem* cum *funiculo umbilicali* diſponit, ipſum etiam *lochiorum* fluxum *prodigum* ac *turbulentum* efficit, in *puerperis utero* periculoſam offenſionem allicit, velut *ſtaſin* ſanguinis, *ſcirrhum* ſanguineum, *inflammationem* uteri, *hyſtericam* convulſivam paſſionem, *hæmorrhoides uteri* cœcas, gangrænam, ſphacelum, ipſamque *prœmaturam* mortem, qualis hiſtoria recenſetur in *A. N. C. Dec.3. an.1. obſ.22.* de *riſu in puerpera lethali:* ſic plurimi medicorum, cauſis, *abortum* provocantibus, nimium gaudium, quo etiam riſus pertinet, annumerant.

§. VII.

Quando *ſuperius ſ.4.p.18.* dictum fuit, quod *moderatus* riſus ad *Partum promovendum* conferat, tunc haec commendatio *non abſoluta* & indiſcreta eſt, ſed *relativa*, quando videlicet *motus ad Partum neceſſarii* aut plane *deficiunt*, aut *languide* & *inſufficienter* procedunt, tunc riſus cum *moderata* lætitia animique confidentia conjunctus partus ſucceſſum *novo robore* & virium ac motuum incremento adjuvat & *facilitat: contra* vero quando nunc *partus* motibus *ſufficientibus* ſuccedit, aut *fœtus* modo *orificium* uteri *intrat*, aut plane illico *inſtat* & in *puncto eruptionis* conſiſtit, tunc riſus aut *modicus*, aut *nimius* potius *nocet*, quoniam ſub illo *inſpiratio aëris* intra pulmones *intenditur*, *abdomen* autem *comprimitur* & cum *diaphragmatis* conſentiente motu uterus ſubito *retrahitur*, proinde vero *inſtans* fœtùs *intra uterum* reprimitur, retrahitur ejusque *exitus impeditur.* Quicunque porro homines *prolapſione ani* aut *uteri* laborant, illis frequens, *fortis*

aut

aut exceſſivus riſus perquam *nocet*, dum intenſiori *concuſſione* corporis & *compreſſione abdominis relaxatus* uterus & inteſtinum rectum muſculis ſuis *enervatum* denuo *amplius exprimuntur*. Idem accidit *hernioſis* imprimis enterocele laborantibus, quibus ſub crebriori & immoderatiori riſione hernia major redditur, dum *peritonæum* violentius *extenditur*, *dilatatur*, relaxatur & *amplificatur*, ſi non plane interdum, concurrente præcipue *alia violenta* cauſa, *rumpitur:* Nocet etiam multus riſus *calculoſis*, *cephalalgiis* & *vertigini* obnoxiis, *aſthmaticis*, *palpitationem cordis* facile tolerantibus, *ſingultuoſis*, crebris *animi deliquiis* ſubjectis &c. Denique etiam plus minus periculoſe *vulneratis* fortis, tanto magis nimius, riſus *pernicioſus* eſt, præcipue ſi vulnerationes una *nervos* læſerint, teſtantibus HILDANO *Cent. 1. obſ. 23.* CAMERARIO *in Syllog. Memorab. Cent. XI. part. 32.* DOLÆO *in Encyclop. Lib. 1. cap. 3.* nam fortis commotio *animi*, *ſanguinis* & *reliqui* corporis, quæ *riſui* aſſociatur, vulneribus *infenſa* eſt, dum *nervi* magis *tenſione* ſenſibili afficiuntur, ſanguis magis *inturgeſcit*, adeoque *ſpasmi*, *congeſtiones* ſanguinis, *inflammationes*, *cruentationes*, intumeſcentiæ, *febriles* commotiones perquam præjudicioſæ excitantur. Quod denique *exceſſivus* Riſus variis ſubjectis *ſubitam* excitaverit & acceleraverit *mortem*, *apoplectico*, *ſuffocativo*, *ſtrangulatorio*, repente ſtagnatorio effectu antiquioribus & recentioribus hiſtoriis confirmatur; referentibus LAERTIO *Lib. 7.* *Valer.* MAXIM. *L. 9. c. 12.* LUCIANO *de Mecrobiis p. 833.* *Cæl.* RHODIGINO *L. 4. c. 18.* KORNMANNO *in Mirac. Viv. p. 88.* CAMERAR. *Syllog. Memorab. Cent. 14. part. 60.* GOGLENIO *in Phyſiol. riſus p. 862.* *A. N. C. Dec. 1. an. 10. obſ. 125.*

Dec. 2. an. 8. obs. 175. p. 445. HERBERGER *in Magnalb. P. 3. n. 12. p. 155.* Epist. Hertz-Postill *Part. 2. Pentec. p. 329. Dan.* DUNCANO *de nat. mot. animal. cap. XI. aliisque;* præter *modo dictos* effectus *lethiferos*, accidit etiam in nonnullis, ut sub tali nimio risu repente *dexter cordis ventriculus nimia* copia sanguinis obruatur, quam *tanta* mole *propellere haud* potest, aut *polypus* cordis subito vasis cordis sanguiferis imprimatur, ut subitanea *circuli sanguinis extinctio* sequatur: Claudimus igitur præsentem tractationem *Pythagorico* illo symbolo: *abstine a risu effuso.* DEO autem humillimas exhibemus gratias, quod hanc explicationem ad desideratum scopum direxerit, quem insuper imploramus, ut singulis nostris laboribus felix annuat successus & exoptatus salutaris affulgeat

F I N I S.

NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

SALUTEM ET PROSPERITATEM

OPTAT

P R Æ S E S.

VAria veterum fuisse exercitamenta, MERCURIALIS *de art. Gymnas. Lib. 3. cap. 7.* & *Lib. 6. cap. 5. & 6.* testatur, e quibus saltim Vocis sex distinctas recenset exercitationes, nim. vociferationem, Cantum, Lectionem, Sermonem, *Risum* & fletum. Quantæ existimationis olim Risus fuerit, refert *Gerh. Joh.* VOSSIUS *de Idolol. Lib. 3. c. 46.* ideo illum gratis & jucundis animi affectibus adscripserunt; quamvis alii derisiones aut irrisiones

nes contumeliosis ac vitiosis mentis qualitatibus tribuere soleant, inde μῶκος sec. *Hesychium* derisorem, subsannatorem, nasutulum, empectam denotat, quem Galli Mocqueur vocant, quæ etymologica derivatio ansam dare posset in foro medico de illusione Medica von der Medicinischen Mocquerie tractare: vicissim vero prudens & moderatum Risus exercitium utilitates suas menti & corpori vario modo & effectu promittit, quare SCALIGER *exerc. 317. 6. risum* dicit esse *motum musculorum ad materiæ expulsionem*, subinde hunc motum *ori & pectori communem esse* asserit; sicut *Juvenalis Sat. 20. perpetuo risu pulmonem exagitari* sentit. Arrideo igitur CANDIDATE DOCTE Tuis fatis, quando non solum studia academica per quatuor fere annos feliciter laudabili industria absolvisti, sed nunc præmia profectuum Tuorum, in Scientia & arte medica acquisitorum, ab Inclyto Ordine nostro excipere contendis, proinde Risus commoda & incommoda in œconomia vitali, hoc ipso Specimine Inaugurali docte explicas. Apprecor Tuis futuris laboribus Medicis felices successus, ut fructus solertiæ & capacitatis Tuæ exoptatissimos colligere, deque reliqua prospero, secundo & salutari rerum Tuarum flore & accremento gaudere & ridere possis. Vale Dab. d. X. Cal. Decembr. A. R. S. cIↃIↃcc XLVI.

PRÆNOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

D. GEORGIUS GOTTFRIED. WENDT.

QUanto amoris adfectu Te hucusque prosequutus sim, CANDIDATE DIGNISSIME, satis inter nos manife-

nifeſtum eſt; per quatriennium enim familiaritate quaſi Tibi fui conjunctus; quam ob cauſſam amicitia noſtra quoque poſtulat, huncce diem Tibi congratulandi, congratulandi non ſolum, ſed inde etiam gaudium capeſſendi. Vota Tibi itaque bona trado, de exantlato proſpero ſtudiorum Tuorum academicorum curſu; ſine honoris titulo vero abhinc diſcedere non potes; quare Spectatiſſima ordinis medici membra lauream doctoralem Tibi imponunt, qua, Te, tanquam diligentiæ Tuæ præmio, condecorant, Medicæ enim arti in ſplendida hac muſarum palæſtra ſingulari induſtria navaſti operam, atque illuſtrium medicorum dogmata hauſiſti integerrima, ita, ut tam theoreticas, quam practicas medicinæ partes ex fundamento ediſcere anniſus ſis; quam ob cauſſam etiam praxin Tuam futuram multo non ſolum cum emolumento, ſed miſere etiam decumbentium ſolatio exercere potes. Confirmat & augeat veritates haſce auditas cœleſtis bonitas efficiatque ut innumeri ſalutares exinde ſequantur effectus. Exerce inquam praxim multa cum dexteritate & induſtria, ita quidem, ut tanquam fidus in hac naturali vita ſervus conſiderari poſſis. Annuat DEUS cunctis Tuis negotiis atque ſingularia Tua conamina exoptato, fructuoſo atque ſalubri coronet fine. Interim, ſicuti huc usque ita quoque futuro tempore me habeas Tibi commendatiſſimum. Vale. Dab. d. 21. Nov.

A. R. S. MDCCXLVI.